

Nathan Chyträus

Natalis D. N. Iesv Christi CI I XXCII. Carmine anniuersario, celebratus à Nathane Chytræo. Cum appendice

Rostochii: Myliander, [1582]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1755963718>

Druck Freier  Zugang






Cq-1536.¹⁻⁵

LUCAS BACKMEISTERVS,
est verus possessor huius
libri.

Nulla dies abeat quin linea ducta
super sit.



NATALIS D. N.
IESV CHRISTI

CID IO XXCII.


Carmine anniuersario, ce-
lebratus à

NATHANE CHYTRÆO.

Cum appendice.



Rostochij, typis Myliandrinis.



STRENA.

D^r EBERHARD^o
DO MOLLERO,
CONSVLI HAMBVR-
GENSI, VIRO VERA PIE-
TATE, VIRTUTE, SAPIENTIA ET
AVCTORITATE CL. DOMINO
SVO OBSERVANDO: FELICIVM
NOVI ANNI AVSPICIORVM
GRATIA CONSECRATA A

NATHANE CHYTRÆO.



NATALIS
CHRISTI SAL
VATORIS

CIO. IO. XXCII.

RADIX JESSE A.



*Hinc iterum, densa puerorum astante
corona,*

*Christe puer tibi vota sero, vota
annua, que tu
Accipies placido, veluti prius
edita, vultu.*

Sed quenam, è tanto numero, mihi carminis apta

Hac vice materies sese dabit? incluta flore,

Frondebis, & fructu, sparsisq; per aua ramis

Te radix Iessea canam. salue aurea radix,

Parua quidem primo aspectu; sed talis, vt inde

*Tantum nostra salus, vis, vita, & gloria surgens
Pullulet, & celso se tandem exaquet Olympo.*

Pulcræ equidem, paradisiacæ quam eduxerat hor-

Arbor erat, iucunda comis, et fructibus arbor, (cuius)

Fructibus ast veritis. quos cum gustasset Adamus.

A 2

Hes.

Hei miser, extemplò agnouit, quibus ante bonorum
Excideret cumulus, quæque ipsum lerna malorum
Cum misera sobole exciperet, totaq; nepotum
Progenie, ad sinem mundi. spectabilis arbor,
Et multis quoq; grata fuit, iucundaq; visu,
Qua Babyloniaci vis atque potentia regni
Assimilata fuit. namque illam fertilis æther
Imbribus & viui vegetatam fonte caloris
Vsque adeo miro foliorum ornarat honore,
Ut patulus diffusa procul nitidissima ramis,
Et caput auricomum extollens, et brachia pandens,
Innumeros circum populos vernante sub umbra
Protegeret: nidosq; auibus, animalibus escas,
Perfugium, latebrasq; daret: sic obsita crustas
Cortice, sic impacta solo radicibus imis,
Sic celsas erecta comas; ut lædere nemo
Posse videretur talemq; euellere plantam:
Quæ pridem prostrata tamen, radicibus imis
Aruit euulsis, & fructibus orba caducis,
Immemor & prisca decoris computruit arbor.
Quid reliquas tibi commemorem? quæ flumina pas-
Et campos hortosq; tenent, siluasq; virentes, (sim,
Quarum alia posito in terram de semine natæ
Mox perire iterum, pecudum vel calcibus ictæ,
Depressæue solo, vel curua falce recisæ:

Arro-

Arrosere aliam funesto dente capella :

*Sunt quoque quas nimius cœli consumeret æstus :
Aut quibus ipse rigor brumæ, pluviaq; nocerent
Largius effusa. pauca quas flore decoras,
Aut fructu gravidas oculo latante colonus
Aspiciat : quos sæpè tamen violentior Eurus
Decutit, aut vermes, factus per poma cauernis,
Deiecere loco. autumnus quin frigore primo
Cum fructu folia ipsa iacent : quibus arbor ademptis
Sola pruinosos tristis circumspicit agros.
Prætereo iam tot morbos, tot vulnera cruda
Arboreis metuenda comis. hanc ignis adurit
Fulminis : illam angunt morbosæ tubera pani :
Huic insecta nocent : huic noxia dente teredo,
Aut grauis vredo, aut scabies lanuginis obstat.
Quin nulla est, quam flamma vorax, putrusq; vetu-
Omnia consumens, tandem nõ vincat, eamq; (stas,
Paullatim in nihilum, quæ nil fuit ante, resoluat.
Virgultis his tam miseris, misereque caducis
Nos, soboles terræ, similes insistimus urbi,
Casibus expositi varijs, varijsque ruinis :
Ni nos abscissos terrenæ à corpore matris,
Siluestresq; animos adimens, illa incluta radix
Insertos sibi suscipiat, placideque receptos
Edoceat sensim meliori inolescere libro :*

A 3

Ipsaq;

Ipsaq; vim teneris succique alimenta ministrans
Materni, ad cœli dulces nos euehat auras,
Quis sine nulla salus miseris, spes nulla relicta est.
Hæc illa est radix generosa, hæc nobilis arbor,
Quam propria ipse manu felici in colle Sionis
Depanxit Deus, & procera asurgere stirpe
Iussit, & explicitis sese diffundere ramis:
Et populis dare speratam sub frondibus umbram.
Sic tamen ut fines inter viridantis Idumes,
Iordanisq; sacri fontes, cedrosque præaltas
Candentis Libani, Carmelique æquor, & intra
Tesqua Arabum, Syriæq; caue se rura teneret:
Hos fines tegetet, primo haud spaciosior æuo.
Paruit illa libens. sed quis fata arboris huius
Multiplicesque vices satis admiretur, in ipsam
Intentos figens oculos? iam scilicet illa
Vsque adeo formosa fuit, fructuque decora,
Et tam iucundos ex se diffudit odores,
Ut certare illi vel totum nulla per orbem
Posse videretur ramisq; & fructibus arbor.
Mox iterum sterilis, lacera, egra et frondibus orba,
Ludibrium ventis fuit, & cuiuslibet apri
Vnguibus & denti, cuius obnoxia falci. (bos,
Nec nego, tempus erat, quando hæc tam fertilis ar-
Ceu planè exsucca, & veluti moritura latebat,
Molli

Molli tecla solo, trunco à radice reciso.
 Degeneres quippe hoc rami, matrique verenda
 Ingrati meruere malum. Sic sæpè putarunt,
 Non sat nota quibus pollentis dextra Ichouæ,
 Non alijs istam plantis differre, nihilq;
 Aut priuum propriumue ista radice teneri,
 Iisdem cum panè, & forsàn maioribus esset
 Cum reliquis exposita malis. nec desuit inter
 Vel Libani cedros, laurosue in vertice Pindi,
 Thuriferiue adeo Cabubathræ in finibus arbor,
 Quæ se isti quasi cum fastu præponeret. ergo
 Maximus ille parens, celsam qui in mōribus ornum
 Deicere, atq; humilem potis exaltare miricam est:
 Qui dicto citius viridem exsiccare Taburnum,
 Arentemue potest oleis vestire Sionem,
 Ante alios montes vt toto floreat orbe:
 Ille, inquam, pater omnipotens, de germine stirpis
 Iesæ panè exanimis (gens Davidis illuc
 Quippe redacta fuit sub tempora Zorobabelis,
 Nulla vt sceptriferi superessent signa decoris)
 Desregit taleam, quam summi in vertice montis
 Abramidum insodit scrobibus, viresque tenella
 Crescendi dedit, vt, placito sibi tempore, quondam
 Surgeret in cælum ramis felicibus arbor,
 Fructibus insignis, fragranti suavis odore,

Christi adum, quiscunque colant sub partibus orbem,
Confugium, & seris factura nepotibus umbram.
Scilicet est Christus tam mira & nobilis arbor,
A cuius radice, comis densissima silua
Prouenit: ipsa ingens ingentem sustinet umbram
Diffusam huc illuc: nec Cauri flabra, nec imbres,
Nec metuens aestus nimios, nec fulminis ictus,
Præscriptos pridem fines, Iudæaque septa,
Arctari impatiens, superat: Boreamq; Notumq;
Oppositasq; domos Euri Zephyrique peragrans,
Vlcra etiam Oceani fines sua brachia tendit:
Miraturque nouas frondes: & non sua poma
Passim inserta sibi ostentat: cunctosq; per annos
Inconuulsa manet, mundanaque secula vincit.
Scilicet huic pater ipse manu pollente subinle
Malleolos calamosue nouos, vi flaminis vsus,
Inferit: aut si degenerans in corpore matris,
Impatiens flecti, duro intractabile nodo,
Conspiciat cremium; falce huic aut ungue resecto,
Substituit melius meliori ex arbore germen:
Mox quod in alterius sese conuertere ramos
Aspiceres, genus oblitum, succosque priores.
Sic semper gemmasque nouas & germina trudit,
Sic rediuiua nouis fit grandior incrementis,
Quotidiè & victrix per plura cacumina surgit,
Exten-

Extenditq; comas adeo ramosque fluentes,
Extremi fines ut frondibus obregat orbis.
Huic insigi opus est omnem, cælestis ad horti
Limina qui aspirat, tantum hic plantaria cæli,
Non alibi, viuos hæc sufficit vnica succos:
Hæc rorem, hæc pluuias, hæc blandi lumina solis
Suppeditans, vires cunctis dat partibus æquis:
Nulla salus extra hanc, vitæ spes nulla beata.
Quisquis es ergo semel factus pars arboris huius,
Sis ad prima tenax, & cortice firmus inhere,
Surculus ut maneat viuus, vegetusque, seraxque,
Neue iterum rescere caue, quod contigit olim
Isacidum soboli, quæ summa cacumina tantæ
Arboris obtinuit pridem, spremitq; superbè
Coliculos sibi subiectos: nec propria cautè
Agnouit bona: quin matrem tractauit acerbis
Indignisque modis: quod duri sepè venenum
Dentis, & admorso signata in stirpe cicatrix,
Vibicesq; alia signis docuere cruentis.
Quis tamen haud contenta, ipsi conuicia cælo,
Vertice quod iam se contingere posse putabat,
Fecit, & intumuit luxu: cumque optimus ille
Omnipotensq; sator mundi, iam brachia rondens,
Iam stringens frondes, apicesque cacuminis alti
Compescens, nil proficeret, frustra omnia tentans:

Tandem ira indomita exarsit, raptaque securi,
Exscidit à stirpe hæc nodosi robora ligni,
Incussitque solo, ut quantum olim vertice ad auras
Aetherias; tantum nunc ima in tartara tendant.
Quocirca si natiuis his parcere ramis
Non voluit potuitue Deus; quid quaeso timendum
Malleolis adscititijs, aliunde resectis?
Huc animos, huc, ni leuæ sint, vertito mentes
Iapheti ô soboles, quæ Semi in castra recepta es:
Nec sero sapiens, iam nunc auerte futura
Exitia, & clades foribus quæ de super instant,
Et patriæ, totique simul minitanti mundo.
Sed quamuis ille ipse ruat collapsus in ignes;
Non tamen hæc arbor radicitus extirpari
Succidiue potest, superat tener omnibus humor
Annorum spacij: vis est generosior illi:
Nobilior succus, cælesti ab origine manans:
Hic illam verat amissis arefcere ramis;
Sed quid ego amissis memoro? cum morbida quamuis
Parte aliqua quandoque sui; tamen integra perstet
Partibus in reliquis, nunquam non germine, nunq̃;
Floribus & fructu non adspectabilis arbor.
Quædo etenim tam exsucca fuit, sterilisq̃; putrisq̃;
Quin aliquas anibus latebras, pastoribus umbram
Frondem ouibus, sepe mq̃; satis, & pabula melli
Suffi-

Sufficeret: modo deformis; mox pulcrior; vna
Languida parte; alia collecto robore fortis.
Quin quando hæc penitus iam mortua creditur ar-
(Qualis erat facies eius, quo tempore Christus (bos,
De trabe pendeat, cumq; vrbs templumq; Iehouæ
Funditus euersum, tota cum gente iacebat).
Tum gnara è medijs caput exaltare ruinas,
E tumulo rediuiua viret, tum brachia pandit
Latius, & plures spaciosior occupat agros.
Ceu tum, disruptis Iudææ finibus arctis,
In totum cœpit ramos extendere mundum:
Nunc quoque qui passim virides, fructuque decori,
Multiplicant oculos, insertaque germina blandè
Excipiunt, placideq; fouent, præbentque tenellis
Florem apibus, virgulta ouibus, cantantibus umbras
Luscinijs, quæ nunc etiam per littora Balthes,
Et latè Zephyrum versus, Thulenque niuosam
Dulcisonis implent modulus cathedrasq; domosque,
Quotidieque adeo frondes, ramosque seraces
Arboris æternæ gemmis, taleisq; nouellis
Ornari aspiciunt hilares: gratesque Iehouæ
Leta voce canunt: teneris & fausta precantur
Palmitibus. quod idem reliquis in partibus orbis
Aut fieri, aut factum esse patet. puer optime Iesu
Insertos tibi tu frutices defende foneque:

Tu

Tu lignatorum rabiem, dirasque secures
Reprime: tu sævus metuendos dentibus apros
Compesce: & divi conatibus Antichristi
Victrices tu oppone manus: & vulnera sana
Arboris ipse tuæ · prohibens Eurosque Notosque,
Agricolisque malæ fidei, iratosque colonos,
Hanc qui non tantum assidue franguntq; premuntq;
Viribus externis: sed ramum impingere ramo
Eiusdem matris satagunt: ne scilicet unquam
Optatum decus obtineat, partesque per omnes
Aequè fructifera æterno sit grata Iehouæ,
Oblecterque oculos multorum animosq; bonorum,
Quis magis in voris, totoque ardentius orbe
Quod simul exoptent, nihil est. tu, cultor agelli
Sum quia Christe tui, cui prima ætate iuventus,
Optima pars hominum, & sæcli spes cara futuri,
Creditor erudienda piè, benedicito cœptis,
Ipse meus, consors summus rectorq; laborum,
Propositumque iuua, multis ut fructifer ipse
Sim palmes maneamque tuus, plantasq; tenellas
Complures tibi, quotidie, plantemque, rigemque,
Ex hoc seminio innumeri ut sint arboris huius,
Descriptæ iam, participes, & viuida membra,
Quiq; olim fiant horti cœlestis alumni.
Hoc ego discipulis, hoc caris comprecor unum

Filiolis

*Filiolis verè ex animo : sicque impetro ; voti
Ceum compos victorque mei, nihil amplius opto.*

PARODIA CHRIS-
TIANA PRIMÆ PARTIS
Satyræ Horatianæ, libri Se-
cundi Sextæ.

Dost Christum, veramq; fidem, ater-
namq; salutem,
Hoc erat in votis, non magna do-
muncula, parvus

Hortus ubi, & modico focus esset lucidus igni,
Fonticulusque perennis aquæ, & selecta bonorum
Copia librorum, & mensæ tenuisque brevisq;
Sobria mundicies, nec dedita litibus vxor
Frugalis, studiosa Dei, studiosa mariti:
Conditio & super his non planè abiecta, sed amplis
Inferior, meliorq; imis foret. optimus ille
Cœlestusque pater pridem longè auctius atque
Vberius mihi prospexit, quandoque peritus
Dans ultro meliora. bene est. nihil amplius opto
Nate Deo, tua tanta nisi ut mihi munera serues:
Utque soles, dux & custos mihi maximus adsis,
Fortu-

Fortunesque meos nutu omnipotente labores :
Infirmumque animum dia sic luce gubernes ;
Vt neque maiorem faciam ratione mala rem,
Nec proprio efficiam luxu culpaue minorem :
Sed tibi ceu placitum est, recte omnibus utar, et absq;
Sordibus, & nunquam fratri sim durus egeno,
Sat te vno locuples, sat te vno diues amico.
Fac nihil vt horum venerer, quæ mundus adorat,
Ipsi qui manult etiam valedicere cælo,
Iacturam quam vel minimam perferre bonorum.
Sint procul hæ voces ; ô si millesimus ille
Centusibus nono accedat, qui danda moratur
Fœnora : & ô vtinam vicini hic angulus arui
Accedat, nostrum qui nunc de normat agellum.
O vtinam vicina domus ; quæ solibus obstat,
Per fas perq; nefas mea sit. cui debeo magnam
Mercedem, ô nunquam rediturus nauiget. ô si
Quotidie liceat plures mi emungere nummus;
Et tamen interea iusto sanctoque videri.
Sint, inquam, procul à nostris hæc vota medullis.
Diuitiæ potius mihi sint sobolique tenelle
Integritas, bona fama, fides, mens conscia recti,
Læta quies cordis, succi loliginis expers,
Contentusq; animus modicus, quem maxima mater
Virtutum exstimulet pietas. pradiuitis instar

Hæc

Hæc mihi vectigalis erunt. sibi congerat aurum,
Auro inhiæt Mammon, sitis insatiabilis auri
Quem miserum excæcat, medioque in gurgite gazæ,
Tanquam intemperij actum, flagruq; Megaræ,
Inter opes inopem, querulum, expertemq; quietis,
Omnibus & durum, ceu verso in marmora corde,
Efficit. hæc radix, Paulo si credimus, hæc est
Colluies, hæc cunctorum sentina malorum,
Quo nil non pravi & vitij confluxe putandum est.

QVERELA ECCLESIAE.

O me infelicem, laceram, rerum omnium egenam!
Quam iaceo scissam sanguinolenta cutem!
Quam misera, & nulli toto miserabilis orbe,
Vulneror, excrucior, distrahor, exanimor.
Nec quisq; est, qui vel minimum mea vulnera cu-
Quæ fletu et lacrymis imbuo cruda meis. (ret,
Quin quos præ cunctis eadem sanare decebat,
Contra ea, cum furij, non solidanda, ruunt.
Effrenesque animis, velut unguis in ulcere fixus,
Me quasi fibratim dilaniare student.
Ni lacrymæ tibi pro gemmis, pro murice sanguis
Sit meus, & planctus carminis instar eat;
Nil me squalidius, nil me deformius vsquam est,
Qua nihil in prisco pulcrius orbe fuit.

Ehe!

Eheu me miseram! cur me verum optime sponse
Deseris in tantis, ô mea vita, malis?
Num talem me ferre potes? cur accipis æquis
Auribus hos gemitus? vulnera tanta oculis?
O tandem compesce meos, quos conspicias, hostes,
Non minus en hostes quos patet esse tuos.
Peccavi tibi, non illis: ignosce fatenti:
Elue tu sordes, sponse benigne, meas.
Desperata alijs, alijs gratissima, solus
Vulnera tu tandem consolidare potes.
Fallor an & facies, veterum haud oblitus amorum,
Qui toties faciles in mea vota manus
Porrexisti pridem, & simili me clade grauatam
Iuisti in plausus officiose meos.
Verbum equidem hoc verum est, hominum cum de-
(fuit omne,
Tum Domini præsens incipit auxilium.

AD MAGNATES.

Quisquis es ad magnos regnorum cœclis
honores,
Qui sceptrum sublime geris, nitidamque coronam,
Scintillans cræbea, & solio spectabilis alto,
Quisquis es, inquam, animos ideo non tolle superbos,
(Quod libuit, licitum esse putans, cunctisq; sequen-
dum) Et

Et contemne alios, aut calcibus opprime, circum
Te fusi, qui ceu numen reuerenter adorant
Te, sceptrumque tuum: & nutu quos concutis vno,
Nomine terribilis solo; iussusq; tremendus.
Sed potius cum mente oculos ad sidera verte,
Rectoremq; illum observa, qui corpora cæli
Nutu etiam verboque vno tam magna creauit,
Tam pulcra & varia, & cuius miranda videnti:
Qui potis est, quoties libuit, cælum igne corusco
Implere, atque intra miscere tonitrua nubes:
Qui potis est ictu, positas in montibus ornos,
Sternere fulmineo, celsasque euertere turres,
Terra ipsa ut trepidet pauido quatesacta fragore:
Aut patula abripiat totas cum gentibus vrbes,
Excutiens reges etiam, dirosque tyrannos
Ex solio in barathrum nullis remeabile seclis.
Hec, inquam, perpende animo, modo certa salutis
Sic tibi cura tua. nec tantum despicere coram
Te stratas miseros; & quanto celsior illis,
Et maior superemineas, tecum ipse reuolue:
Sed potius quam sis nullus præ rege supremo
Cælorum, quantoque infra subsederis illum,
Quoq; adeo pacto, qua conditione, breuique
Quam spacio tibi sit talis commissa potestas
Sollicito perquire animo. sic vertice crista

B

Defluet:

*Defluet : ex vultu terror, vis, fastus & ira
Migrabunt alio : nil te clementius vsquam,
Nil melius toto aut viuet te optatius orbe.*

AVCTORITAS PONTIFI-
cia : & Veritas Christiana.

A Vctoritas mortalium,
Grauissimis sapissimè
Ecclesiarum litibus,
Sæuæ caput instar Gorgonis,
Magna voce prætenditur :
Coniuncta cui si Veritas
Sit, nemo idipsum perneget,
Sed iure tum prætenditur.
Si non : nec vlla Auctoritas
Vllius est vel angeli
Tanta, vt Dei donum optimum,
Longiq; filia temporis,
Quæ sola vinci nescia est,
Non Veritas præponderet.
Nam Veritatis gemmula,
Vel vna Veri guttula,
Opinionum Caucaſo,
Auctoritatum æquore,
Longè est prior & preciosior
Veri,

Veri, Deiq; amantibus.
Vilis iacet sed Veritas,
Nimis est vbi cara Auctoritas.

DVODECIM
ABVSIONES SECVLI

ex Augustino.

Cvm sapiens factus que scit non exprimit ipsis,
Et caret impurus religione senex.

Cum iuuenis nulli maiorum obtemperat exlex,

Clausq; cum misero diuitis arca riget.

Cum buccas inflans pauper sibi cornua sumit,

Nullaque cum nuptæ cura pudoris inest.

Cum princeps dat iura expers virtutibus ipse,

Christicola & rixas crudus amare potest.

Pontifices cum sunt somnique gulaque ministri,

Aulaq; cum magni regis iniqua iubet.

Cum disciplina plebs inscia quidlibet audet,

Nec populus legem qua reprimatur habet.

Bissex hos posuit rerum Augustinus abusus,

Quis sensim in peius cuncta creata ruant.

IPSE FACIET: SYMBOLVM

Iacobi Monauij V. CL.

Rebus in humanis, hoc vt iam viuitur euo,

Dicta et facta inter discrimen cernitur ingēs,

B 2

Panci

*Pauci etenim ut dictis sint consona facta laborant :
Esse satis dixisse rati. quanto optimus ergo
Aeternusque parens, ter maximus ille Iehoua
Omnibus est potior : qui fallere nescius ullum,
Et dicit simul & præstat quæ dicta fuere.
Dicere nam Domini facere est, opponere cui se
Quis queat ? hoc igitur Domino dum niteris vno,
Compater ô longè carissime, laudo fidelem
Constantemq; animum, quem tam pia symbola pro-
DIXIT IS et FACIET : nec te hæc (dunt.
fiducia faller.*

IN PRODIGIVM.

*Q*uid capite orba monent tot in aëre monstra? Lu-
Patria quæ nuper vidit et obstupuit. (theri
Bellua tot capitum Germania dedica rixis
Incipit heu nullum prorsus habere caput.

AD CHRISTVM SER- VATOREM.

*I*ndignus sum, confiteor, qui sidera spectem ;
Sed tu me dignum Christe benigne facis.
Sum lacer, & Sathane lethali saucius ictu ;
Possim ut vulneribus sanus abire tuis,

Sum

Sum malus; ut tua me bonitas Christe optime seruet;

Sum miser; ut solus tu mea damna leues.

Nil scio, nil possum sine te: quin denique planè

Sum nihil; ut tu sis omnia Christe mihi.

ΣΙΣ ΑΙΜΟΚΙΜΒΙΚΑ.

Χρήματα τῷ Χρῆσται χείρ ἐνυβέντα διδασκα
τόνομα, Ἐ πάντες ἄλλο λέγουσι σοφοί.
Χρήματα πὶ λυύπτες ἀχρήματα; Χρησὲ τί ποιῆς
ἄχρησ; ὦ κιση πλούσιε, Ἰδὲ τῆνης.

NEC OMNIBVS.

NEC NVLLI.

NEC citò laudaris, citò nec culpaeris vllum.

Ut vitium est cunctis, sic est quoq; credere nul-

Non minimum vitium, virtus sed maxima, soli (li

Crede posse Deo est, qui verax fallere nescit,

Et qui nullum vnquam vero ἔ fido ore fefellit.

ADFVIT IPSE ADERITQ; DEVS.

SYMBOLVM AND. REVSSII,

Secret. Bratisl.

QVæ mala Christiadùm generi Mesekita mine-

Innuit in chypeo Reussius ecce suo. (tur,

Ille manu cestram intentat, cristaque superbus,

Quem mox distingat, munit ense latus.

B 3

Quod

Quod tamen huic scutum telo foret indicat idem,
Hæc siquidem in patulo margine verba legis.
A D F V I T ipse adieritq; Deus, qui si velit, hostem
Frangere, vel frenis saltem inhibere potest.
Quiq; suos, quamuis totus iam corruat orbis,
Nouit, & è cunctis expedit ipse malis.
Hunc contra nihil est Gogo cum fratre Magogus,
Nil rabie & furij s effervus ipse Sathan.

ΠΑΡΑΜΥΘΗΤΙΚΟΝ ex Luthero.

Inucto magnoq; animo sis rebus in arctis,
A Christo qui nomen habes, premerisq; Sophista
Vel præiudicijs, vel aperto Marte Tyranni:
Neue minis moueare caue, technisue dolosis,
In pestem ingeniosa suam quas perfida passim
Subijcit Impietas mundo, mundi que ministris.
Nemo etenim fuit, est & erit, qui impunè piorum
Vel minimū aggrediens per totum afflixerit orbem:
Nemo minas Domini maiestatemque tremendam
Contempsit frustra; quamuis vel maximus esset
Viribus, ingenio, eloquio, sceptrisq; superbis,
Cunctorum sub sole hominum. Deus inclutus ipse
Est verè iustus index, vindexq; malorum
Iratius, buccisue cauis, fastuq; tumentum.
Cui nemo nimis est magnus, sapiensue potensue:
Nemo

Nemo nimis sanctus ficta pietatis in umbra:
Seu Papa, seu Moscus, seu Turca sit impius, aut rex,
Aut dux, aut princeps, aut fractus fraude sacerdos,
Aut Sathanas ipse immani planè efferus ira.
Sed neq; sunt Christo hi primi quos cernimus hostes;
Nec postremi etiam sunt ista ex gente futuri.
Temporibus siquidem priscis vixere Tyranni
Complures, hostesq; Dei, vi, viribus atque
Maiores opibus longè, regnisq; superbis,
Quos Dominus tamen armipotens compefcere natu
Vel solo potuit, sic funditus exstirpatos,
Fulmineisue etiam telis ad tartara missos,
Vt nulla ipsorum vestigia nota supersint.
Ergo etiam non effugient, quos tempore nostro
Sanguine sanctorum dextras maculare cruentas
Vidimus, aut tacitas in eisdem texere fraudes,
Antiquis nòdum esse pares quos cuiq; fatendum est.
Præterea Domini auxilium dextramque potentem
Nemo vnquam frustra pauperculus implorauit:
Nemo vnquam periit dura sub mole relictus,
Spemq; fidemque ista qui certam in rupe locaret.
Nemo vnquam interijt, quamuis sibi conscius esses
Fœdorum mærens scelerum; seu vilior alya
Mendicus, bellisue foret, vinclisue grauatus.
Quin etiam occisi contra fas sanguis Abeli

E ter-

*E terra exclamans, refugique precatio Ionæ
Balæna de visceribus, barathroque profundo
Emissa, in cælum penetrat, patulumque Iehouæ
Cor auresq; ferit, votique fit in chrya victrix.
Nam bonus & mitis pater est Deus ille Deorum,
Nec quisquam, quem vera fides diuinitus armat,
Huic nimium vilis, miser aut contemptus abibit.
Sed neq; nos, aut primi erimus, suimusue, sumusq;
Hoc Sathanas quos ille modo vexatque premitque.
Quin pridem vereque pijs sanctique suere,
Quos malus ille, malus longè grauioribus usus,
Afflixit, circumuentos ferroq; rogisq;
Addicens, quos dextra tamen miranda Iehouæ
Afferuit, tutaq; iterum statione locauit.
Cur igitur nos fidentes sibi pectore toto
Desereret? cur sub lamio cultrouæ relictos,
Aequis nos oculus planè pessum ire videret?
Non facit hoc facierue Deus, miseratio cuius
Et vis est maior toto, qui maximus orbe est.*

F I N I S.

Marci ita dicti sunt à Marte, quod Mar
mense Martio nati essent. cg

Tullig
Qui recens natus non exponendus
aut abiciendus sed tollendus seu
educandus visus esse fuerat.

Cicero.
Cognomen Ciceronis arpinati alium
in illa familia, antiquitus tributum
putant, quod in hoc genere legimus,
nis Cicero mirum terendo et ad
messem copiosam curando et produ-
cendo pro alijs felix esset.

Quinto.
Quintum quoque quod ordine reli-
quorum fratrum quinto loco
natus esset hoc nominis accipisse
credibile est.

In Exordio seu prima parte
huius epistola.

I. Causas huius scriptiois indicat
et rationes affert, cur fratrem falsa
spe, matris decessiois tam elin dū
passus sit. Et hac q̄ insinuatione
leuissimo brachio adhibita paula
tim ad exhortationem accedit qm̄
persuadere fratri suo con
tin, ut hanc tertiam ad im
lestias et curas pro uinciales ac
cessioem in victo animo ferat.
Quod quidem facile cum pra
re posse innuit, cum sit

et exercitatisissimus in hoc genere,
et hanc mansuetudinem non propria
Culpa sibi contraxerit. Culpa autem
omnem hanc in se recipit, et quibus
modis ad eam pertractus sit, expo-
nit simulque monet ut quae pariter
caute promissa esse sint, ipse prudentia
et industria corrigat.

Secunda haec est pars huius epistolae
qua docetur a Marco fratre Ciceronis,
cetero qualis ipse in tota sua gubernatione
esse debeat, mirivum
quoddam quasi speculum et exte-
plar in quod subditi intuentes
non possunt non ipsi quoque


carundem esse quam Audiofissi-
mi. Tractatio autem obliqua.
carum enim virtutum, quas in
Quinto unice esse exoptabat
ad modum et dixit. plenariam
quasi possessionem ei tribuit,
ut sic admittiones acrimo-
niam mitiget. Ergo tamen
ipso defectum ille suum de-
bit agnoscere



in in ma fi

in in





Ca
1110



E terra exclam
Balena de visce
Emissa, in caele
Cor auresq; fe
Nam bonus &
Nec quisquam
Huic nimium
Sed neq; nos, a
Hoc Sathanas
Quin pridem
Quos malus il
Afflixit, circ
Addicens, qu
Aseruit, tut
Cur igitur nos
Desereret? c
Aequis nos oc
Non facit hoc
Et vis est m

ne precatio Iona
roque profundo
patulumque Iehoua
inlytra victrix.
Et Deus ille Deorum,
fides diuinitus armat,
ut contemptus abibit.
us, fuimusue, sumusq;
o vexatque premitque.
Alique suere,
grauioribus vsus,
roq; rogisq;
en miranda Iehoua
tione locauit.
ectore toto
ultrouie relictos,
am ire videret?
s, miseratio cuius
maximus orbe est.

I S.

093

UB Rostock

0515000

the scale towards document